DISSERTATIO INAUGURALIS DE INDURATIONE TEXTUS CELLULOSI IN...

Karl Mayrhauser

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

INDURATIONE TEXTUS CELLULOSI

IN C. R.

PATAVINA SCIENTIARUM UNIVERSITATE

AD DOCTORIS MEDICINAE LAUREAM

RITE OBTINENDAM

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMISSA

A

CAROLO DE MAYRHAUSER

TYROLENSI BULSANENSI

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINI

MDCCCXXXII.

OMNIBUS QUI MIHI
BENE.

DE INDURATIONE TEXTUS CELLULOSI IN NEONATIS.

I.

Definitio, descriptio et divisio morbi.

Venit hoc nomine recentioribus Medicinae autoribus morbus, infantibus neonatis proprius, qui in tali textus cellulosi (constituentis pariter et involventis:) alienatione consistit, qua consistentia illius ad majorem a normali gradum abludit digitoque tangenti sensum duritiei offert. Malum hoc aliis, quamquam minus proprie *sclerema* aliis *scirrhosarcoma* vocatur.

Neonatus ejusmodi morbo affectus sequentem refert imaginem: *Inspectio externa* infantulum observat, qui praematuri utplurimum partus progenies, evolutionem corporis retardatam, cutem justo teneriorem, siccam, laxam, in regionibus a tumore liberis in rugas plicatam, ideoque vultus aspectum huic anusculae similem, colore cachectico, ut plurimum icterico notatum, textum subcutaneum, praeprimis ubi partium rotundarum pulvinar elevatius sistere consue-

vit, in tumoris quasi formam lineamentis magis visilibus circumscriptam protuberantem, ad tactum, ut videtur, non dolentem, durum, pressioni non cedentem, ideoque nec foveam, qualis in oedemate produci potest, admittentem, nec quoque posthac resilientem; cutis non adnectitur sufficienter huic textui celluloso, sed tensa est et distracta, quasi inglutinata fuisset supra os: adparent igitur tales tumores ad buccas, jugulum, brachia, imprimis ad cubitum, ad scapulas, ad suras, totumque dorsi ambitum; dorsum et planta pedis sunt convexa, haec ultima coloris purpurei, qui rubor saepe ad crura, femora, abdomen, nec non ad universum corpus extenditur; unde motus qualiscunque, imo et passivus mechanice turbatur. Partes adfectae ad ignem calefiunt, sed inde remotae iterum cito refrigescunt. Juxta Denmann partes non solum induratae, sed simul oedemaosae sunt, et cutis adspectum refert albidum, cerae similem.

Functiones vitales, tum plasticae, tum animales similibus, nec non gravioribus anomaliis insigniuntur:

Quoad motum, sugendi facultas tum ob debilitatem universalem, tum ob impedimentum mechanicum ad buccas et musculos muxillares situm languet, parvuloque lac maternum e mammis in os extricari quasi debet, quod tamen nihilominus aegre adhuc et paulatim deglutitur, ob praesentem sine dubio et his in organis debilitatem vitalem; respiratio praeter quod ejusmodi infantes saepenumero asphyctici jam nascantur, debilis, molesta, nonnunquam stertens, et sub suctu suffocationis periculum causans; pulsus debilis, nec frequens, nec celer; motus

peristalticus quamplurimum languet, quapropter alvus rara, eaque grumosa, viridis, aeruginosa; urinae parcae, pallidae, saepe excernuntur; motus voluntarii pauci peraguntur, quum ii tum ob impedimentum mechanicum, quod regionem muscolorum flectentium prae reliquis occupat, tum ob debilitatem, quae procul dubio systema nervorum tenet, prouti et ob adfectionem utramque in musculis, his motibus praefectis jure suspicandum (in textu enim celluloso constituente infarcto ratio mechanica, in irritabilitate imminuta aut saltem suppressa ratio dynamica poni potest) plus minus cohiberi videantur, prout morbi major minorve gradus fuerit. Quapropter ejusmodi infantuli extenso trunco extensisque extremitatibus decumbunt et (quum fiat, ut non raro symptomata nervosa, trismus prae reliquis accedant) propterea Frank putat, morbum hunc ad tetanum pertinere posse; circa quod negandum quidem non est, in individuis cum universae vitae languore et alias et hanc dictam nevrosim facillime in conspectum venire posse, quin tamen morbus qua talis nevrosim sistat oporteat.

Sic et functionum, quoad sensum turbae animadvertuntur: appetitus prostratus, quum parvulus raro et nonnisi per porrectionem mammae monitus pastum sibi expetat, neque tunc vivaciter aut diu sugere continuat; pariter et digestio languere videtur, cum frequentes, iique longe post nutrimentum assumtum vomitus lac coagulatum, acescens ejiciant. Oculus languidus, quasi emortuus aegre movetur; infans temporis maximam partem, ut alii consuescunt, dormiendo quidem consumit, ast somnus inquietissimus, facillime fugandus vigiliae cedit, continuo fletui

dicatae, quae inquietudo et fletus praecipue nocte accedunt et flebiliores quasi esse videntur, ut inde non absurde ad dolorum aut accessum aut exasperationem arguere possimus.

Sectiones cadaverum variis autoribus varia obtulerunt observanda. Secundum *Andry*, *Auvity* et *Billard*, si textus cellulosus partium induratarum scinditur, et postea sufficiens exerceatur pressio, statim serum in copiosis et liquidis guttis plorare observatur, cum subsequente mollitie et pastositate hujus textus, qui prius durissimus adparuit, quapropter dicti auctores morbum hunc pro simplici oedemate habent. E contrario infantum cadavera a *Liberali* inspecta textum cellulosum subcutaneum condensatum in modum corticis obtulerunt, qui nonnisi raro paululum seri emittit sub compressione, quod pariter affirmant relatores societatis regiae Parisiensis, qui textum cellulosum compactum, granulatum, glandulas et vasa lymphatica cutis infarcta observarunt. In reliquis ceterum conveniunt inter se: sic quilibet eorum detexit, esse hepar voluminosius, quam in statu normali et sanguine admodum nigro scatens multisque aliis plethorae manifestae signis notatum, cystidem felleam bilem continere densissimam coloris obscure brunei, vasa umbilicalia sanguine nigro plena. Pulmones in aliis perfecte sani, in aliis adfecti adparuere, quae adfectio utplurimum in congestione, mox activa, mox passiva, consistebat, quarum prima saepe hepatisationem altera subinflammationem comites habuit. Canalis Botalli et reliquae circuitus viae pro solo foetu institutae concretae; musculi, praeprimis extremitatum flexores infarcti, duri, imo nonnunquam in tendinibus alterati.

Liberali quoque cutem saepe maculis purpureo-

rubris, plus minus obscuris seminatam vidit: in genere secundum hunc auctorem vestigia inflammationis manifestabantur, magis minusque intensae in viceribus, quae nonnunquam et tubum alimentarem tenuit et ventriculum interne inflammatum, punctis gangronosis et copiosis aphthis seminatum monstravit. — Saepe tamen inflammationis signa defuere. Quum ceterum nonnunquam et textus adiposus ejusmodi signa indurationis offert: orta proinde est divisio a nonnullis proposita in *indurationem textus cellulosi* et in *indurationem textus adiposi*. Observatur haec posterior ad genas, ad dorsum, nates, et suras, ubi incisa adeps solida et dura apparet. Secundum *Liberali* sub ossiculo hyoideo nucleus adiposus invenitur, qui sub morbo multum evoluto adspectum corporis homogenei praebet, sebacei et in adipe oleosa fluctuantis. Si induratio minoris fuit gradus, corpus hoc divisum adhuc detegebatur in duo aut quatuor corpuscula minora.

Decursus morbi est summopere irregularis: non praesentat periodos determinatas aut particularia quaedam phaenomena, quae ejus solutionem annuntiarent; illius gradus intensitatis, unici, qui attentione digni sunt, tum in evolutione, tum in decremento varietates maximi et minimi momenti afferunt. Plures horum infantum dictam affectionem jam sub partu exhibent, qualis casus Uzembezii est, ubi infans frigidissimus cum rigiditate lignea nascebatur octavo graviditatis mense: in aliis nonnisi secundo aut tertio ab illo peracto die in conspectum venit. Rarior hic morbus et mitior in Anglia, quam in Gallia, in qua posteriori ipsi et adfectiones erysipelatosae accedunt, quae in priori regno desunt. —

II.

Brevis morbi conspectus historicus.

Non longo abhinc tempore morbus hic cognoscitur. Duo ejus exempla exactius observata sunt: primum in infante tali Stocholmae sub principio seculi proxime elapsi et secundum in infante in nosocomio Neapolitano ante 50 circiter annos facta. Cura quae in utroque hoc casu adhibebatur, necessario naturam novi hujus morbi dilucidare debuit. Relationem primi horum casuum multo studio tractati ab *Uzenbezio* in Embryologia *Seuringii* et in Ephemeridibus curiosorum naturae legimus. Omnibus tunc hic morbus, incognitus et extraordinarius apparuit, quin tamen medici multum studii illi impenderent, ita quidem, ut natura ejus longissimo tempore in primitiva obscuritate manserit. Ipsismet Parisiis, in cujus uno solo brephotrophio mille infantum in Hotel-Dieu natorum 600 omni anno huic morbo succubuerunt, pauci adhucdum curati fuerunt, donec cel. *Andry* huic instituto praepositus omne studium applicuit cognitioni ejus naturae, causarum et remediorum. Quaestione tunc primo objectum praemii facta, illius responsis a societate medica coronata non parum ad meliorem ejus cognitionem contribuit. —

III.

Aetiologiae.

A primis morbi observati temporibus naturalis oriebatur quaestio, undenam quomodove haec ve-

niat apparitio? Sed et hic diversitas explicationum clare monstravit, quam ardua res sit, proximas morborum causas eruere. Inter has singularitate excellit haec *Uzenbezii*, cui non absurdum videbatur, dictam affectionem a simulacris hominum lapideis, quae föminae gravidae intuerentur, deducere. Non defuerunt etiam, qui ad proprietatem adstringentem aquae amnios, a nonnullis huic attributam pro explicatione morbi confugerunt. *Andry* et *Auvity* actionem frigoris inter principalia momenta aetiologica ponunt, docentes, frigus intercipere transpirationem insensibilem et retardando circulationem densiora reddere fluida serosa et mucosa in textibus, in quibus talia occurrunt: cui opinioni *Troccon* opposuit, observari, quod frigus circulum potius acceleret et non retardet. Major auctorum pars, inter quos praeprimis *Hulme* retinet, indurationi textus cellulosi contemporaneum esse statum quendam congestionis aut inflammationis pulmonum, cui ideam de quadam congestione passiva cordis et vasorum majorum adjunxerunt. — *Unterrvood* et cum illo *Girtarnner* morbum imputant influxui aeris insalubris, corrupti institutorum publicorum, in infantem natum agentis, cum in domibus privatis rarissimus sit hic morbus. — *Baumès* in rigiditate musculorum morbi rationem quaerendam esse, *Paletta* in hepata, organo scilicet, quod certum quendam influxum in producendo hoc malo explicuerit, crediderunt. Juxta *Breschet* nil nisi effectus est accumulati seri a sanguine separati, cum processum inordinatum circulationis persistentiae Botalli attribuit. — *T. Leger* de incompleta tubi intestinalis evolutione cogitat, qui secundum illius assertionem in infantibus induratis tres pedes brevior normali

est. — *Dènis* eum sistit in vera phlegmasia, in irritatione sympathica et consecutiva alterius status irritativi apparatus gastrico intestinalis, qui secundum eum nomine phlegmasiae enterocellularis designari possit. — *Baron* tandem in dicta affectione nil aliud detegit, nisi oedema, meram infiltrationem serosam textus cellulosi, simptomaticam cujuscunque disordinis aut impedimenti, cui subjicitur circulus sanguinis, sive in corde, sive in pulmonibus et vasis majoribus. *Billard*, postquam supra adductas opiniones examinaverat easque cum suis observationibus et numerosis autopsiis cadaverum comparaverat, respectu momentorum aetiologicorum sequentia inducere posse ratus est: Morbum hunc magis hyemequam aestate et frequentius in neonatis, quam in infantibus aetate magis provectis occurentem habere pro *causis disponentibus*: 1.mo naturalem infantis debilitatem; 2.do statum quendam plethoricum generalem et congenitum; 3.^tio^ abundantiam sanguinis venosi in diversis textibus; 4.to statum ariditatis cutaneae ante exfoliationem cuticularem; pro *causis directis*: 1.mo impedimentum cursus sanguinis effectum per ipsam abundantiam hujus fluidi in apparatu circulatoris; 2.do nimium adfluxum dicti fluidi in textum cellulosum, cui tunc largam suppeditat materiam secernendam; 3.^tio^ tandem actionem fluidi serosi densam causant potentiae externae, quae in cutem agunt, transpirationem cutaneam supprimere hacque ratione augmentum saltem fluidi serosi producere valent. Illo omisso, quod adductum examen aetiologicum nequaquam logicum sit, cum nimirum ratio non pateat, cur momentum quoddam inter causas praedisponentes ponatur, cui postea analogum inter causas directas invenitur:

haec nosogenia ad cognoscendam veram mali naturam aut diathesin parum contribuit. Momentorum enim nonnulla talia sunt, ut penitus evanescant, quum animadvertitur, infantes ejusmodi morbo adfectos nasci, quamquam hic sub partus tempore in alio plus, minus in alio evolutus sit, ideoque haud illico se manifestet. Facile inde medicus in opinionem seducitur, cum serioris processus morbosi progeniem esse. Neque necessitatem perspicio animadvertendi, frigoris momenti in hoc casu non adeo gravis, ob rationes cuilibet facillime perspiciendas, neque tabulas partuum contemplari vellem, quae in hunc scopum consulebantur; quodsi respiciatur, illos menses, quibus maximus numerus neonatorum dicto morbo affectorum habetur, qualis est e. g. Novembris, pariter et maxime proliferos esse, ideoque facile intelligi posse, majori infantum numero insigniorem quoque hoc morbo affectorum corrispondere. Quoad naturalem infantis debilitatem, hac si illam primariam supponimus, non exiguam utique causam praedisponentem constituit: et facile supponi potest, debilitatem hanc reapse primariam esse, quodsi respiciamus, ejusmodi miserculos utplurimum a matribus gestari, quae aut ob egenam rem domesticam viliori vitae generi adstringuntur, aut etiam, quae tempore gestationis vitae immoderatae et effreni semet tradiderunt. Paratur hac ratione in primis jam foetus rudimentis una cum vita et dispositio ejus talis, quae postea sub ulteriori corporis evolutione omnibus miseriis aditum concedit. — Quoad cetera adhuc momenta, ab ultimo citato auctore adducta, haec re maturius perpensa crederem, potius pro effectibus habenda morbi, quum e principiis pathologocis facillime eorum prodeat explicatio.

Excipio inde ultimo positum, quum per suppressionem transpirationis cutaneae etsi jam exiguae augmentum fluidi serosi in cellulis textus cellulosi utique provocari possit, unde fons et augmentum morbi, post pastum communiter observatum explicari queat. Sed his omnibus, quae nos de origine formae morbi edocent, nullatenus adhuc ad cognitionem entis morbi progressum est. Ex altera parte tamen neque negandum, quod investigatio haec permultis prematur difficultatibus, dum foetus in evolutione sua et morbi oculis nostris non pateat. Quidquid igitur circa morbi diathesin proferatur, nonnisi rationali inductione et analogia perfici poterit.— Si igitur his ducti ad sequentia attendimus: α) morbum hunc ante introductionem luis venereae in Europam, neque imo ante illius divulgationem universalem cognitum haud fuisse; β) illum primo in institutis majoribus metropolium pro parturientibus exortum fuisse et usque ad haec tempora quasi exclusive illis locis convenire, qui utplurimum pro feminis inferioris classis destinati sunt; γ) illum infantes corripere, qui maxima ex parte a matribus, quae syphilide aut adhuc laborant aut ea laborarunt sub conceptione et primis gravidatis mensibus, ubi postea ant ipsa silere coepit aut praecociter suppressa fuit (qualium casuum non pauci in instituto Viennae observari potuerant), quin igitur absurdum sit et occultam in nonnullis suspicari syphilidem, si illius symptomata non esse aut adfuisse constat: δ) non ignotum esse, quot et quam differentes formas lues venerea in progressu temporis a prima illius apparitione induerit, quae variis temporibus varias loci et hominum circumstantias secutae sunt:

eam, ubi in infantibus illico post nativitatem apparet, consuetim etiam a cute, inflammationibus erysipelatosis in indurationem, suppurationem aut gangraenam transeuntibus vexata ordiri atque in adultis tandem in textu celluloso suas induere metamorphoses atque hydrope terminari; .) medicamenta mercurialibus et antimonialibus conflata, etsi raro morbum debellassent, insigne tamen saepenumero illius decrementum produxisse: — si, dico, omnia haec combinentur, non inanis perfecto apparebit suspicio, syphilidem in hoc morbo magnam aut imo principalem ludere scenam, eoque facilius miserculum plecti posse, si aut ob paupertatem aut vitam perversam matris in prima jam foetus evolutione debilitas vitalis ponitur. Videtur haec idea eo adhuc confirmari, quod, quando syphilis haereditaria neonatos plectit, (quin indurationis textus cellulosi signa adsint) plures partes, prae reliquis facies, penis, regio lumborum, umbilici ruborem revera erysipelaceo venereum offerant, quod infantes saepe etiam cum erysipelate (sic dicto neonatorum) nascantur, quod pro maxima parte regiones easdem tenet, quas nos ab induratione textus cellulosi adfectas videmus; quod talis inflammatio, si (quae creberrima) in gangraenam aut suppurationem non transit, indurationem format priori simillimam unde ratiocinari liceret, foetum una cum germine vitae et germen infausti mali percepisse, quod tractu temporis in regionibus et partibus affectis inflammationes erysipelaceas chronicas easque (ob defectum potentiarum externarum) lentas causasse, quae proprie ob hanc rerum naturam in indurationes, mox plus, mox minus profunde penetrantes transierunt, quodque in

casu, in quo morbus hic aliquot a nativitate diebus manifestus conspicitur, illum mitiorem, per potentias externas nocentes utique augmentum capere, praecipue per seri quantitatem auctam. Hanc eandem suspicionem jam *Andry* et *Gölis* moverunt. Admissa nunc hac morbi origine absque difficultate reliqua phaenomena morbosa intelligentur, quodsi prouti sequelae morbi primarii apparent; inde congestiones et infarctus in pulmonibus et hepate, inde ictericia cum canalis alimentaris turbis, inde transpiratio cutis suppressa aut saltem imminuta cum augmento morbi formae post nativitatem, symptomata nervosa ad debilitatem veram origina riam reponendo. —

Prognosis.

Quid circa prognosim in morbo, cujus intima natura nos quasi penitus adhuc latet, statui possit, facile quilibet intelliget. Strages magnae, quas morbus a primo suae apparitionis momento producit, formidabilem ipsi vultum impresserunt, ita ut quasi inter incurabiles seponeretur. Aliter autem circa mortalitatem hoc morbo secundum aliorum opinionem productam argumentatur cl. *Billard* et rationem principalem mortalitatis frequenti coexistentiae affectionum cerebralium, pulmonalium et entericarum graviorum ipso oedemate tribuit, quum, dicit ille, observasset, quod major pars talium infantum potius gravibus pulmonum affectionibus, quam textus cellulosi morbo succubuisset. Quodsi vero idea in aetiologia ultimo explanata prosequatur, affectiones recensitae pulmonum, cerebri et cavi abdominalis potius qua passiones

consecutivae apparebunt, et permanente prognosi utique semper tristi, rationalius tamen argumentabitur: indurationem textus cellulosi deleterium esse morbum, qui, quamvis ipse non enecet, passionibus tamen necessario ab illo inductis toti organismo et vitae admodum infestus evadit.

Ex septuaginta infantibus, quos *Liberali* ex hoc morbo perire videbat, maxima pars ante octavum diem a nativitate mortua est. Versus tertium aut quartum diem maxima pars moritur; nonnunquam vero mors non observabatur, quam sexto decimo octavo, vigesimo, imo quinquagesimo post nativitatem die: *Doublet* vidit sclerema die quindecima post partum evolvi et quadragesima terminari. Mors pro maxima parte sub convulsionibus intrat. — Quodsi post balnea tepida aromatica et frictiones tales sudor copiosus vaporosus cum insigni tumorum emollitione sequitur, a therapia bene ordinata salus quaedam exspectari potest, quae tamen semper admodum lente procedit.

Therapia.

Eandem cum prognosi sortem et therapia communem habet. Morbo incognito quilibet secundum suam quam de morbo sibi formavit, ideam et medendi methodum opposuit. — Sic cl. *Billard* consentaneas ad suam theoriam sequentes statuit indicationes: 1.mo evacuationibus sanguineis plethoram generalem debellare; 2.do cutis vitam excitare, tum ope frictionum stimulantium, tum involutione partium pannis laneis et in genere applicatione omnium horum, quae transpirationem cutaneam largiorem restituere valent.

Videtur tamen, quod stimulos validiores nimia debilitas non admittat, quum referat laudatus auctor, balnea vaporosa, pro quorum administratione *D Peligot* in brephotrophio Parisiensi ingeniosum apparatum construendum curavit, juxta experientiam *D. Baron* nequaquam effectus tales prodidisse, ut qui frictionibus et involutioni aequiparari possint. —

Utitur ille huic scopo oleo chamomillae camphorato, tinctura theriacae etc. quibus perfrictus infans pannolinis laneis bene calefactis integro corpore involvitur, ubi altero die saepe vapore tepido balneati inveniuntur cum insigni morbi decremento. —

Eadem et cel. *Girtanner* commendat, qui insuper emeticum, serius remedia aromatica cum quodam syrupo porrigit, unde aliquos infantes salvatos vult: inter remedia externa proficua etiam vesicantia numerari debere ipsi videtur, ope quorum spatio unius anni quinque de quibuslibet 100 infantibus adfectis salvabantur. Balnea parari possunt ex decoctione salviae, synapis. — Secundum *Liberali* si simul signa inflammationis internae adsint, sedesque earum cognita, applicandae sunt hirudines, tum ad thoracem, tum ad epigastricum, postea frictiones aromaticae e. s. p.; in genere indicationes sunt: internas inflammationes extinguere, textum cellulosum emollire et incitare circulationem.

Capuron fumigationes cum gummi amoniaco in aceto soluto, quod postea super latricem candentem effunditur, consuluit. *Untervood* primis morbi observati temporibus ad tubum alimentarem semet restringens purgantia adhibuit, additis simul stimulantibus, praeprimis ammoniaca, quod tractamen unicum fuit, unde ali-

quando successus quidam observabatur. Tardius dictis usum balneorum et frictionum conjunxit. Ceterum ipse putat, posse cum emolumento adhiberi clysmata carminativa et granum Calomellis interne, post cujus sufficientem per alvum actionem ad remedía volatilia et cardiaca recurrendum esset. —

LITTERATURA

Andr. Uzenbezius referente Scuringio, Embryologia. Sect. 3. c. 1. pag. 211.

Ephemerides curiosorum naturae. Ann. 1718. Cent. IX. obs. 30.

Dictionaire abrégé des sciences medicales. T. XIV. Article siléréme.

Traité des maladies des enfans de Michael Untervood etc. par Eusèbe de Salle avec des notes de Tadelot. Paris et Montpellier 1823.

Histoire et Memoires de la société royale de medicine. an. 1786. pag. 21.

Girtanner von den Krankheiten der Kinder.

C. Billard - trattato delle malattie dei bambini etc. traduzione dal francese dei Signori dott. G. e M. con note del dott. Giovan. Strambio. Milano 1830.

THESES

I.

Epidemia et contagium eandem originem agnoscunt: est autem contagium productum animalisatum epidemiae.

II.

Quapropter morbi populares non solum uno aut altero, sed etiam utroque modo simul propagari possunt.

III.

Morbi nervosi saepenumero umbra tantum aliorum morborum sunt.

IV.

Unicum remedium cataractae est operatio chirurgica.

V.

In statuenda graviditatis diagnosi summam medicus adhibeat cautelam.

VI.

Remedia heroica medicus nonnisi in casu necessitatis in usum trahat.

VII.

Cura prophyllactica nonnisi morbo, qui timetur, verosimiliter determinato institui potest.